MISSÆ PROPRIÆ PATRONORVM ET FESTORVM REGNI POLONIAE,

Ad normam MISSALIS ROMANI accommodatæ.



ANTVERPIÆ,
EX OFFICINA PLANTINIANA,
Apud Viduam & Filios Ioannis Moreti.
M. DC. XI.

192001
192001

CALENDARIVM
PATRONORVM ET FESTORVM
REGNI POLONIÆ.

FESTA DECEMBRIS.

Die iiij. S. Barbaræ virginis & martyris. duplex. 5

FESTA FEBRVARII.

Die j. S. Brigidæ virginis. duplex, in Ecclesia Plocensi. 6
Die vj. S. Dorotheæ virginis & martyris. duplex. 7
Die vij. S. Romualdi Abbatis. duplex. 7

FESTA MARTII.

Die iiij. S. Casimiri confessoris. duplex, cum commemoratione S. Lucij Papæ & martyris. 7
Die v. Translatio S. Venceslai martyris. duplex, in Ecclesia Cathedrali Cracouiensi. 9
Die x. SS. Cyrilli & Methodij Confess. Pontificum. semidupl. in Ecclesia Cathedrali Præmisliensi. 10

FESTA APRILIS.

Die xxiij. S. Adalberti Episcopi & martyris. duplex. 11

FESTA MAII.

Die ij. S. Sigismundi Regis & martyris, in Plocensi Ecclesia. duplex. 12
Die iiij. S. Floriani militis & martyris. duplex, cum commemor. S. Monicæ viduæ. 13
Die viij. S. Stanislai Episcopi & martyris. duplex. 15

FESTA IVNII.

Die iij. S. Erasmi Episcopi & martyris in Ecclesia Plocensi. duplex. 16

FESTA IVLII.

Die xiij. S. Margaritæ virginis & martyris. duplex. 17
Die xv. Diuisionis SS. Apostolorum. duplex. 18

Die xxiiij. S. Christinæ virginis & martyris, in Ecclesia Plocensi. duplex, cum commemoratione Vigiliæ S. Iacobi, nisi sit Patrona aut Titulus Ecclesiæ. 19

FESTA AVGVSTI.

Die xvj. S. Hyacinthi confessoris. duplex, cum commemoratione Octauæ Assumpt. B. Mariæ, & Octauæ S. Laurentij. 19

Die xix. S. Benignæ virginis & martyris, in Diœcesi Vladislauiensi. duplex, cum commemoratione Octauæ Assumptionis B. Mariæ. 20

Die xxix. S. Sabinæ martyris in Ecclesia Cathedrali Posnaniensi. duplex. 21

FESTA SEPTEMBRIS.

Die x. S. Dalmatij martyris, in Diœcesi Vladislauiensi duplex, cum commemor. Octauæ Natiuitatis B. Mariæ. 21.

Die xxiiij. S. Thyrsi martyris, in Diœcesi Vladislauiensi dupl. 22.

Die xxvij. Translationis S. Stanislai Episcopi & martyris. duplex. 23

Die xxviij. S. Venceslai martyris. duplex. 24

FESTA OCTOBRIS.

Die x. SS. Gereonis & sociorum martyrum, in Diœcesi Gneznensi. duplex. 25

Die xv. S. Heduigis viduæ. duplex. 26

Die xx. Translationis S. Adalberti Episcopi & mart. duplex. 28

Die xxj. S. Vrsulæ & sociarum martt. duplex, cum commemor. S. Hilarionis Abbatis. 29

FESTA NOVEMBRIS.

Die xij. SS. Martyrum quinque fratrum Polonorum. duplex. 31

Die xix. S. Elisabeth viduæ. duplex, cum commemor. S. Pontiani Papæ & martyris. 33

MISSÆ PROPRIÆ PATRONORVM ET FESTORVM REGNI POLONIAE.

FESTA DECEMBRIS.

DIE IIII.

In festo sanctæ Barbaræ virginis & martyris.

Introitus.

Psalm. 118. LOquêbar de testimóniis tuis in conspéctu regum, & non confundêbar: & meditâbar in mandátis tuis, quæ diléxi nimis. Ibid. Psalm. Beáti immaculáti in via: qui ámbulant in lege Dómini. Vers. Glória Patri.

Oratio.

DEus, qui inter cétera poténtiæ tuæ mirácula, étiam in sexu frágili victóriam martyrij contulísti: concêde propítius: vt qui beátæ Bárbaræ vírginis & mártyris tuæ natalítia cólimus, per eius ad te exémpla gradiâmur. Per Dóminum nostrum Iesum Christum.

Léctio libri Sapiéntiæ.

Eccl. 51 COnfitêbor tibi Dñe Rex, & collaudâbo te Deum saluatôrem meum. Confitêbor nómini tuo: quóniam adiûtor & protéctor factus es mihi: & liberásti corpus meum à perditiône, à láqueo linguæ iníquæ, & à lábiis operántium mendácium: & in conspéctu astántium factus es mihi adiûtor. Et liberásti me secúndùm multitúdinem misericórdię nóminis tui à rugiéntibus præparátis ad escam: de mánibus quæréntium ánimam meam, & de multis tribulatiónibus, quæ circumdedérunt me: à pressúra flammæ, quæ circúmdedit me: & in médio ignis non sum æstuâta: de altitúdine ventris ínferi, & à lingua coinquináta, & à verbo mendácij, à rege iníquo, & à lingua iniústa. Laudâbit vsque ad mortem ánima mea Dóminum: quóniam éruis sustinéntes te, & líberas eos de manu angústiæ, Dómine Deus noster.

Graduale. Dilexísti iustítiam, & odísti iniquitâtem. ℣. Proptéreà vnxit te Deus, Deus tuus óleo lætítiæ. Ps. 44.

Allelúia, allelúia. ℣. Adducéntur Regi vírgines post eam, próximæ eius afferéntur tibi in lętítia. Allelúia. Ibid.

Sequéntia sancti Euangélij secúndùm Matthæum.

Matth. 25. IN illo témpore: Dixit Iesus discípulis suis parábolam hanc. Símile est regnum cælôrum decem virgínibus: quæ accipiéntes lámpades suas, exiérunt óbuiàm sponso & sponsæ. Quinque autem ex eis erant fátuę, & quinque prudéntes. Sed quinque fátuæ, accéptis lampádibus non sumpsérunt óleum secum. Prudéntes verò accepérunt óleum in vasis suis cum lampádibus. Moram autem faciénte sponso, dormitauérunt omnes, & dormiérunt. Média autem nocte clamor factus est: Ecce sponsus venit, exîte óbuiàm ei. Tunc surrexérunt omnes vírgines illæ, & ornauérunt lámpades suas. Fátuæ autem sapiéntibus dixérunt. Date nobis de óleo vestro: quia lámpades nostræ extinguúntur. Respondérunt prudéntes, dicéntes. Ne fortè non suffíciat nobis & vobis: ite pótiùs ad vendéntes, & émite vobis. Dum autem irent émere, venit sponsus: & quæ parátæ erant, intrauérunt cum eo ad núptias, & clausa est iánua. Nouíssimè verò véniunt & réliquæ vírgines, dicéntes. Dómine, Dómine, áperi nobis. At ille respóndens, ait. Amen dico vobis, néscio vos. Vigilâte ítaque, quia nescîtis diem, neque horam.

Ps. 44. Offertorium. Afferéntur Regi vírgines post eam: próximæ eius afferéntur tibi in lętítia & exultatiône, adducéntur in templum Regi Dño.

Secreta.

SVscipe Dómine múnera, quæ in beátæ Bárbaræ vírginis & mártyris tuæ solemnitâte deférimus: cuius nos confídimus patrocínio liberári. Per Dóminum.

Communio. Confundántur supérbi, quia iniústè iniquitâtem fecérunt in me: ego autem in mandátis tuis exercêbor, in tuis iustificatiónibus, vt non confúndar. Ps. 118.

Postcommunio.

AVxiliéntur nobis Dómine, sumpta mystéria: & intercedénte beáta Bárbara vírgine & mártyre tua, sempitérna fáciant protectiône gaudêre. Per Dóminum nostrum.

FESTA FEBRVARII.

In festo sanctæ BRIGIDÆ virginis. Introitus. DIE I.

DIlexísti iustítiam, & odísti iniquitâtē: proptéreà vnxit te Deus, Deus tuus, óleo lætítiæ præ consórtibus tuis. Ps. 44. Psalm. Eructâuit cor meum verbum bonum: dico ego ópera mea Regi. ℣. Glória Patri. Ibid.

Oratio.

OMnípotēs sempitérne Deus, qui es sanctârum glória virtûtum, cleméntiam tuam súpplices exorâmus: vt per mérita beátæ vírginis tuæ Brígidæ, opportûnum tuæ pietâtis auxílium sentiâmus. Per Dóminum.

Léctio epístolæ beáti Pauli Apóstoli ad Coríntbios.

2. Cor. 10. 11. FRatres. Qui gloriâtur, in Dómino gloriêtur. Non enim qui se ipsum comméndat, ille probâtus est: sed quem Deus comméndat. Vtinam sustinerêtis módicum quid insipiéntiæ meę: sed & supportâte me. Æmulor enim vos Dei æmulatiône. Despóndi enim vos vni viro, vírginem castam exhibêre Christo.

Ps. 44. Graduale. Spécie tua, & pulchritúdine tua: inténde, prosperè procêde, & regna. ℣. Propter veritâtem, & mansuetúdinem, & iustítiam: & dedûcet te mirabíliter déxtera tua. Allelúia, allelúia. ℣. Hæc est virgo sápiens, & vna de número prudéntum. Allelúia.

Ibid. Post Septuagesimam omisso Allelúia, & versu sequenti, dicitur Tractus. Audi filia, & vide, & inclína aurem tuam: quia concupîuit Rex spéciem tuam. ℣. Vultum tuum deprecabúntur omnes díuites plebis, filiæ regum in honôre tuo. ℣. Adducéntur Regi vírgines post eam: próximæ eius afferéntur tibi. ℣. Afferéntur in lætítia & exultatiône: adducéntur in templum Regis.

Euangelium. Símile est regnum cælôrum decem virgínibus. vt in Communi Virg. & Mart.

Ibid. Offertorium. Fíliæ regum in honôre tuo, ástitit regîna à dextris tuis in vestítu deauráto, circúmdata varietâte.

Secreta.

MVnera tibi Dómine dicâta sanctífica: & intercedénte beáta Brígida vírgine tua, per éadem nos placâtus intende. Per Dóminum nostrum.

Matth. 25. Communio. Quinque prudéntes vírgines accepérunt óleum in vasis suis cum lampádibus: média autem nocte clamor factus est, ecce sponsus venit, exîte óbuiàm Christo Dómino.

Postcommunio.

SAtiásti Dómine, famíliam tuam munéribus sacris: eius quæsumus semper interuentiône nos réfoue, cuius solémnia celebrâmus. Per Dóminum.

Sanctæ DOROTHEÆ virginis & martyris, Missa. Me expectauérunt peccatóres. in Communi Virginum & martyrum. DIE VI.

Sancti ROMVALDI Abbatis. Missa. Os iusti meditábitur. de Communi Abbatum. DIE VII.

FESTA MARTII.

In festo sancti CASIMIRI confessoris. Introitus. DIE IIII.

OS iusti meditábitur sapiéntiam, & lingua eius loquêtur iudícium: lex Dei eius in corde ipsíus. Ps. 36. Psalm. Noli æmulári in malignántibus: neque zeláueris faciéntes iniquitâtem. ℣. Glória Patri. Ibid.

Oratio.

DEus, qui inter regáles delícias intáctum à mundi illécebris spíritum sancti Casimíri confessôris tui conseruásti: fac quæsumus: vt tui fidéles ita in tuo amôre firméntur, vt & terrêna despíciant, & ad cæléstia semper aspírent. Per Dóminum nostrum Iesum Christum.

Pro commemoratione ſancti Lvcii Papæ & martyris.

Oratio.

DEus, qui nos beáti Lúcij mártyris tui atque Pontíficis ánnua ſolemnitâte lætíficas: concêde propítius: vt cuius natalítia cólimus, de eiúſdem étiam protectiône gaudeâmus. Per Dóminum noſtrum.

Léctio libri Sapiéntiæ.

Eccl. 31 BEâtus vir, qui inuéntus eſt ſine mácula: & qui poſt aurum non ábiit, nec ſperâuit in pecúniæ theſáuris. Quis eſt hic, & laudábimus eum? fecit enim mirabília in vita ſua. Qui probâtus eſt in illo, & perféctus eſt, erit illi glória ætérna. Qui pótuit tránſgredi, & non eſt tranſgréſſus: fácere mala, & non fecit. Ideò ſtabilîta ſunt bona illîus in Dómino: & eleemóſynas illîus enarrâbit omnis Ecclésia ſanctôrum.

Pſ. 91. Graduale. Iuſtus vt palma florêbit: ſicut cedrus Líbani, multiplicábitur in domo Dómini. ℣. Ad annuntiándum manè miſericórdiam tuam, & veritâtẽ tuam per noctem.

Pſalm. 111. Tractus. Beâtus vir, qui timet Dóminum: in mandátis eius cupit nimis. ℣. Potens in terra erit ſemen eius: generátio rectôrum benedicêtur. ℣. Glória & diuítiæ in domo eius: & iuſtítia eius manet in ſæculum ſæculi.

Sequéntia ſancti Euangélij ſecúndùm Lucam.

Luc. 12 IN illo témpore: Dixit Ieſus diſcípulis ſuis. Sint lumbi veſtri præcíncti, & lucérnæ ardéntes in mánibus veſtris. Et vos ſímiles homínibus expectántibus dóminum ſuum, quando reuertâtur à núptiis: vt cùm vénerit & pulſáuerit, conféſtim apériant ei. Beáti ſerui illi, quos cùm vénerit dóminus, inuénerit vigilántes. Amen dico vobis, quòd præcínget ſe, & fáciet illos diſcúmbere, & tránſiens miniſtrâbit illis. Et ſi vénerit in ſecúnda vigília, & ſi in tértia vigília vénerit, & ita inuénerit: beáti ſunt ſerui illi. Hoc autem ſcitôte, quóniam ſi ſciret paterfamílias qua hora fur venîret: vigilâret útique, & non ſíneret pérfodi domum ſuam. Et vos eſtôte paráti: quia qua hora non putâtis, fílius hóminis véniet. Credo.

Offertorium. Véritas mea, & miſericórdia mea cum ipſo: & in nómine meo exaltábitur cornu eius. Pſ. 88.

Secreta.

SVſcipe, miſéricors Deus, hæc tuæ plebis obſéquia, & cæléſtia múnera expectántis petitiónes propítius exáudi. Per Dóminum noſtrum.

De ſancto Lucio, Secreta.

MVnera tibi Dómine dicâta ſanctífica: & intercedénte beáto Lúcio mártyre tuo atque Pontífice, per éadem nos placâtus inténde. Per Dóminum noſtrum Ieſum Chriſtum.

Commun. Beâtus ſeruus, quem cùm venérit dóminus, inuénerit vigilántem: amen dico vobis, ſuper ómnia bona ſua conſtítuet eum. Matth. 24.

Poſtcommunio.

CÆléſti alimónia ſatiáti, ad te Dómine cuncti confúgimus: vt qui multôrum críminum póndere prémimur, per ſancti Caſimíri mérita ad te leuêmur. Per Dóminum noſtrum.

Pro commemoratione S. Lucij, Poſtcommunio.

HÆc nos commúnio, Dómine, purget à crímine: & intercedénte beáto Lúcio mártyre tuo atque Pontífice, cæléſtis remédij faciat eſſe conſórtes. Per Dóminum noſtrum.

DIE V. In feſto Tranſlationis ſancti Venceslai martyris.

Introitus.

Pſ. 63. LÆtábitur iuſtus in Dómino, & ſperâbit in eo: & laudabúntur omnes recti corde.

Ibid. Pſal. Exáudi Deus oratiônem meam cùm déprecor: à timôre inimíci éripe ánimam meam. ℣. Glória Patri.

Oratio.

DEus, qui beáti Venceſlái nobilitâtem in meliôrem mutáſti dignitâtem, & eum per martyrij palmam ad cæléſtem perduxíſti glóriam: eius précibus nos, quæſumus, ab omni aduerſitâte líbera, & ætérnæ beatitúdinis cõcêde pérfrui glória. Per Dñm.

Léctio epíſtolæ beáti Petri apóſtoli.

1. Pet. 4 CHaríſſimi. Communicántes Chriſti paſſiónibus, gaudête: vt & in reuelatiône glóriæ eius gaudeâtis exultántes. Si exprobrámini in nómine Chriſti, beáti éritis: quóniam quod eſt honôris, glóriæ, & virtûtis Dei, & qui eſt eius ſpíritus, ſuper vos requiéſcit. Nemo autẽ veſtrûm patiâtur vt homicîda, aut fur, aut malédicus, aut alienôrum appetîtor. Si autem vt Chriſtiânus: non erubéſcat, glorífícet autem Deum in iſto nómine. Quóniam tempus eſt, vt incípiat iudícium à domo Dei. Si autem primùm à nobis: quis finis eôrum, qui non credunt Dei euangélio? Et ſi iuſtus vix ſaluábitur: ímpius & peccâtor vbi parébunt? Itaque & hi qui patiúntur ſecúndùm voluntâtem Dei: fidéli creatóri comméndent ánimas ſuas in benefáctis.

Graduale. Iuſtus cùm cecíderit, non collidêtur: quia Dóminus ſuppônit manum ſuam. ℣. Tota die miſerêtur, & cómmodat: & ſemen eius in benedictiône erit. Pſ. 36.

Tractus. Beâtus vir, qui timet Dóminum: in mandátis eius cupit nimis. ℣. Potens in terra erit ſemen eius, generátio rectôrum benedicêtur. ℣. Glória & diuítiæ in domo eius: & iuſtítia eius manet in ſæculum ſæculi. Pſ. 111.

Sequéntia ſancti Euangélij ſecúndùm Matthæum.

IN illo témpore: Dixit Ieſus diſcípulis ſuis. Si quis vult venîre poſt me, ábneget ſemetípſum, & tollat crucem ſuam, & ſequâtur me. Qui enim volúerit ánimam ſuam ſaluam fácere, perdet eam. Qui autem perdí- Matth. 16.

derit ánimam ſuam propter me, inuéniet eam. Quid enim pródeſt hómini, ſi vniuérſum mundum lucrêtur, ánimę verò ſuę detriméntum patiâtur? Aut quam dabit homo commutatiônem pro ánima ſua? Fílius enim hóminis ventûrus eſt in glória Patris ſui cum ángelis ſuis: & tunc reddet vnicuíq. ſecúndùm ópera eius. Dicitur Credo.

Pſ. 20. Offertorium. Poſuíſti Dómine in cápite eius corônam de lápide pretióſo: vitam pétiit à te, & tribuíſti ei.

Secreta.

ACcépta ſit in conſpéctu tuo, Dómine, noſtra deuótio: & eius nobis fiat ſupplicatiône ſalutâris, pro cuius ſolemnitâte deféртur. Per Dóminum noſtrum.

Ioan. 12. Communio. Qui mihi miníſtrat, me ſequâtur: & vbi ſum ego, illic & miníſter meus erit.

Poſtcommunio.

REféćti participatiône múneris ſacri, quæſumus Dómine Deus noſter: vt cuius exéquimur cultum, intercedénte beáto Venceſláo mártyre tuo, ſentiâmus efféctum. Per Dóminum noſtrum.

DIE X. In feſto ſanctorum CYRILLI & METHODII confeſſorum & Pontificum. Introitus.

Pſ. 131. SAcerdótes tui Dómine, índuant iuſtítiam: & ſancti tui exúltent: propter Dauid ſeruũ tuum, non auértas fáciem Chriſti tui.
Ibid. Pſalm. Meménto Dómine Dauid: & omnis manſuetúdinis eius. ℣. Glória Patri, & Fílio.

Oratio.

OMnípotẽs ſempitérne Deus, qui nos per beátos Pontífices & confeſſóres tuos Cyríllum & Methódium ad vnitâtem fídei Chriſtiánæ vocâre dignâtus es, præſta quæſumus: vt qui præſénti eôrum feſtiuitâte lætâmur, ipſôrum étiam méritis glóriam cónſequi mereâmur ætérnam. Per Dóminum noſtrum.

Epiſtola. Plures facti ſunt ſacerdótes. vt in Communi Confeſſoris Pontificis.

Graduale. Sacerdótes eius índuam ſalutári: & ſancti eius exultatiône exultábunt. Verſ. Illuc prodûcam cornu Dauid: parâui lucérnam Chriſto meo. Pſ. 131.

Tractus. Qui ſéminãt in lácrymis, in gáudio metent. ℣. Eúntes ibant & flebant, mitténtes ſémina ſua. ℣. Veniéntes autem vénient cum exultatiône, portántes manípulos ſuos. Pſ. 125.

Euangelium. Vigilâte, quia neſcîtis qua hora. de Communi Confeſſoris Pontificis.

Offertorium. Mirábilis Deus in ſanctis ſuis: Deus Iſraël, ipſe dabit virtûtem & fortitúdinem plebi ſuæ: benedíctus Deus. Pſ. 67.

Secreta.

OBlátis, quæſumus Dómine, placâre munéribus: & intercedéntibus ſanctis tuis Cyríllo & Methódio, à cunctis nos defénde perículis. Per Dóminum noſtrum.

Communio. Quod dico vobis Matth. 10.

in ténebris, dícite in lúmine, dicit Dóminus: & quod in aure audîtis, prædicâte ſuper tecta.

Poſtcommunio.

PRæſta nobis, quæſumus Dómine, intercedéntibus ſanctis confeſſóribus tuis Cyríllo & Methódio, vt quod ore contíngimus, pura mente capiâmus. Per Dóminum.

FESTA APRILIS.

DIE XXIII. In feſto ſancti ADALBERTI Epiſcopi & martyris, Regnique Poloniæ Patroni.

Introitus.

Pſ. 63. PRotexíſti me Deus à conuéntu malignántium, allelúia: à multitúdine operántium iniquitâtem, allelúia, allelúia.
Ibid. Pſalm. Exáudi Deus oratiônem meam cùm déprecor: à timôre inimíci éripe ánimam meam. ℣. Glória Patri, & Fílio.

Oratio.

TVam nobis indulgéntiam, quæſumus Dómine, beâtus Adalbértus Epíſcopus & martyr implôret: vt & delícta nobis cleménter ignóſcas, & benefícia deſiderâta concédas. Per Dóminum noſtrum.

Léctio epíſtolæ beáti Pauli apóſtoli ad Hebræos.

Hebr. 5. FRatres. Omnis Póntifex ex homínibus aſſúmptus, pro homínibus conſtitúitur in iis quę ſunt ad Deum: vt ófferat dona & ſacrifícia pro peccátis. Qui condolêre poſſit iis qui ignórant & errant: quóniam & ipſe circúmdatus eſt infirmitâte. Et proptéreà debet, quemádmodum pro pópulo, ita étiam & pro ſemetípſo offérre pro peccátis. Nec quiſquam ſumit ſibi honôrem: ſed qui vocâtur à Deo, tamquam Aáron. Sic & Chriſtus nõ ſemetípſum clarificâuit, vt Póntifex fíeret: ſed qui locûtus eſt ad eum: Fílius meus es tu, ego hódie génui te. Quemádmodum & in álio loco dicit: Tu es ſacérdos in ætérnum, ſecúndùm órdinem Melchíſedech.

Allelúia, allelúia. ℣. Surréxit paſtor bonus, qui póſuit ánimam ſuam pro óuibus ſuis, & pro grege ſuo mori dignâtus eſt. Allelúia. ℣. Poſuíſti Dómine ſuper caput eius corônam de lápide pretióſo. Allelúia. Pſ. 20.

Sequéntia ſancti Euangélij ſecúndùm Ioánnem.

IN illo témpore: Dixit Ieſus Phariſæis. Ego ſum paſtor bonus. Bonus paſtor ánimam ſuam dat pro óuibus ſuis. Mercenárius autem, & qui non eſt paſtor, cuius non ſunt oues própriæ, videt lupum veniéntem, & dimíttit oues, & fugit: & lupus rapit, & diſpérgit oues. Mercenárius autem fugit, quia mercenárius eſt: & non pértinet ad eum de óuibus. Ego ſum paſtor bonus: & cognóſco oues meas, & cognóſcunt me meę. Sicut nouit me pater, & ego agnóſco patrem: & ánimam meam pono pro óuibus meis. Et álias oues hábeo, quæ non ſunt ex hoc ouíli: & illas Ioan. 10.

opórtet me addúcere, & vocem meam áudient: & fiet vnum ouíle, & vnus pastor. Credo.

Ps. 20. Offertorium. Posuísti Dómine in cápite eius corônam de lápide pretióso: vitam pétiit à te, & tribuísti ei, allelúia.

Secreta.

Sacrifícium exhíbitum, quǽsumus Dómine, benígnus assúme: vt quod nómini tuo in solemnitáte beáti Adalbérti mártyris tui atque Pontíficis deférimus, nobis prosit ad véniam. Per Dóminum.

Ioan. 10. Communio. Ego sum pastor bonus, allelúia: & cognósco oues meas, & cognóscunt me meæ, allelúia, allelúia.

Postcommunio.

Refécti, Dómine, munéribus sacris, súpplices te deprecâmur: vt indulgētiam tuam nobis intercéssio beáti Adalbérti mártyris tui atque Pontíficis semper implôret. Per Dóminum.

FESTA MAII.

DIE II.

In festo sancti SIGISMVNDI Regis & martyris.

Introitus.

Ps. 63. Protexísti me Deus, à conuéntu malignántium, allelúia: à multitúdine operántium iniquitátem, allelúia, allelúia.

Ibid. Psal. Exáudi Deus oratiônem meam cùm déprecor: à timôre inimíci éripe ánimam meam. ℣. Glória Patri.

Oratio.

Deus, qui beátum Sigismúndum Regem, temporáli & ætérno diadémate cum desideráta martyrij coróna honoráre dignâtus es: tríbue quǽsumus: vt qui eius mérita venerâmur in terris, ipsíus intercessióne ab ómnibus protegâmur aduérsis. Per Dóminum nostrum.

Léctio libri Sapiéntiæ.

Sap. 5. Stabunt iusti in magna constántia aduérsus eos, qui se angustiauérunt, & qui abstulérunt labóres eórum. Vidéntes turbabúntur timôre horríbili, & mirabúntur in subitatiône inspérátæ salútis, dicéntes intra se, pœniténtiam agéntes, & præ angústia spíritus geméntes. Hi sunt, quos aliquándo habúimus in derísum, & in similitúdinem impropérij. Nos insensáti, vitam illórum æstimabâmus insániam: & finem illórum sine honôre. Ecce, quómodo computáti sunt inter fílios Dei, & inter sanctos sors illórum est.

Ps. 88. Allelúia, allelúia. ℣. Confitebúntur cæli mirabília tua Dómine: étenim veritátem tuam in ecclésia sanctórum. Allelúia.

Ps. 20. ℣. Posuísti Dómine super caput eius corônam de lápide pretióso. Allelúia.

Sequéntia sancti Euangélij secúndùm Ioánnem.

Ioan. 15. In illo témpore: Dixit Iesus discípulis suis. Ego sum vitis vera: & pater meus agrícola est. Omnem pálmitem, in me non feréntem fructum, tollet eum: & omnem qui fert fructum, purgâbit eum, vt fructum plus áfferat. Iam vos mundi estis propter sermónem,

mônem, quē locútus sum vobis. Manéte in me: & ego in vobis. Sicut palmes nō potest ferre fructum à semetípso, nisi mánserit in vite: sic nec vos, nisi in me mansēritis. Ego sum vitis: vos pálmites. Qui manet in me, & ego in eo, hic fert fructum multum: quia sine me nihil potéstis fácere. Si quis in me non mánserit: mittêtur foras sicut palmes, & aréscet, & cólliget eum, & in ignem mittent, & ardet. Si mansêritis in me, & verba mea in vobis mánserint: quodcúmque voluéritis, petêtis, & fiet vobis. Credo.

Ps. 88. Offertorium. Confitebúntur cæli mirabília tua Dómine, & veritátem tuam in ecclésia sanctôrum, allelúia, allelúia.

Secreta.

Concêde, quǽsumus Rex ætérne: vt huius sacrifícij munus oblâtum, interuéntu sancti Sigismúndi Regis & mártyris, fragilitâtem nostram ab omni aduersitâte semper prótegat & múniat. Per Dóminum.

Ps. 63. Communio. Lætábitur iustus in Dómino, & sperábit in eo: & laudabúntur omnes recti corde, allelúia, allelúia.

Postcommunio.

Purífícent nos, quǽsumus Rex ætérne, tua percépta sacraménta: & intercessióne beáti Sigismúndi Regis & mártyris tui, ab omni malo expiátos, tibi nos reddant accéptos. Per Dóminum nostrum.

DIE IIII.

In festo sancti FLORIANI martyris.

Introitus.

Ps. 63. Protexísti me Deus à conuéntu malignántium, allelúia: à multitúdine operántium iniquitátem, allelúia, allelúia.

Ibid. Psalm. Exáudi Deus oratiônem meam cùm déprecor: à timôre inimíci éripe ánimam meam. ℣. Glória Patri.

Oratio.

Deus, qui nos beáti Floriáni mártyris tui solemnitáte lætíficas: concêde propítius: vt cuius gloriósum triúmphum venerâmur in terris, societâtis eius lætítiam adipísci mereâmur in cælis. Per Dóminum nostrum.

Pro commemoratione sanctæ Monicæ viduæ.

Oratio.

Exáudi nos Deus salutâris noster: vt sicut de beátæ Mónicæ festiuitáte gaudémus, ita piæ deuotiônis erudiâmur effectu. Per Dóminum nostrum.

Léctio libri Sapiéntiæ.

Sap. 5. Stabunt iusti in magna constántia aduérsus eos, qui se angustiauérunt, & qui abstulérunt labóres eórum. Vidéntes turbabúntur timôre horríbili, & mirabúntur in subitatiône inspérátæ salútis, dicéntes intra se, pœniténtiam agéntes, & præ angústia spíritus geméntes. Hi sunt, quos aliquándo habúimus in derísum, & in similitúdinem impropérij. Nos insensáti, vitam illórum æstimabâmus insániā: & fi-

nem illôrum sine honôre. Ecce, quómodo computáti sunt inter filios Dei, & inter sanctos sors illôrum est.

Ps. 88. Allelúia, allelúia. ℣. Confitebúntur cæli mirabília tua Dómine, étenim veritátem tuam in ecclésia sanctórum. Allelúia. ℣. Pretiósa in conspéctu Dómini, mors sanctórum eius. Allelúia.

Sequéntia sancti Euangélij secúndùm Ioánnem.

Ioan. 15. IN illo témpore: Dixit Iesus discípulis suis. Ego sum vitis vera: & pater meus agrícola est. Omnem pálmitem, in me non feréntem fructum, tollet eum: & omnem qui fert fructum, purgâbit eum, vt fructum plus áfferat. Iam vos mundi estis propter sermônem, quem locútus sum vobis. Manéte in me: & ego in vobis. Sicut palmes non potest ferre fructum à semetípso, nisi mánserit in vite: sic nec vos, nisi in me manséritis. Ego sum vitis: vos pálmites. Qui manet in me, & ego in eo, hic fert fructum multum: quia sine me nihil potéstis fácere. Si quis in me non mánserit: mittêtur foras sicut palmes, & arêscet, & cólligent eum, & in ignem mittent, & ardet. Si manséritis in me, & verba mea in vobis mánserint: quodcúmque voluéritis, petêtis, & fiet vobis. Credo.

Offertorium. Confitebúntur cæli mirabília tua Dómine, & veritátem tuam in ecclésia sanctórum, allelúia, allelúia.

Secreta.

HAnc oblatiônis hóstiã, quæsumus omnípotens Deus, beáti Floriáni mártyris tui, digna comméndet orátio: qui sancto charitâtis tuæ deuíctus amôre, própriam sui córporis hóstiam in odôrem suauitâtis tibi óbtulit viuam. Per Dóminum nostrum.

Pro sancta Monica vidua.

Secreta.

ACcépta tibi sit, Dómine, sacrátæ plebis oblátio, pro tuórum honôre sanctôrum: quorum se méritis percepísse de tribulatióne cognóscit auxíliũ. Per Dóminum nostrum Iesum Christum filium tuum, Qui tecum.

Communio. Lætábitur iustus in Dómino, & sperâbit in eo: & laudabúntur omnes recti corde, allelúia, allelúia. Ps. 63.

Postcommunio.

SAncta nos, quæsumus Dómine, sacraménti cæléstis participátio, & ab hóstium cállido tueántur incúrsu: & sancto Floriáno intercedénte, nobis remédia salûtis cónferant sempitérna. Per Dóminum nostrum Iesum Christum.

Pro sancta Monica vidua.

Postcommunio.

SAtiásti, Dómine, famíliam tuam munéribus sacris: eius quæsumus semper interuentióne nos réfoue, cuius solémnia celebrâmus. Per Dóminum nostrum Iesum Christum filium tuum, Qui tecum.

DIE VIII. In festo sancti STANISLAI Episcopi & martyris, Regnique Poloniæ Patroni. Introitus.

Ps. 63. PRotexísti me Deus, à conuéntu malignántium, allelúia: à multitúdine operántium iniquitátem, allelúia, allelúia.

Ibid. Psalm. Exáudi Deus oratiónem meam cùm déprecor: à timôre inimíci éripe ánimam meam. ℣. Glória Patri.

Oratio.

DEus, pro cuius honôre gloriósus Póntifex Stanisláus gládiis impiôrum occúbuit: præsta quæsumus: vt omnes qui eius implôrant auxílium, petitiónis suę salutárem consequántur efféctum. Per Dóminum.

Léctio epístolæ beáti Pauli apóstoli ad Hebræos.

Hebr. 5. FRatres: Omnis Póntifex ex homínibus assúmptus, pro homínibus constitúitur in iis quę sunt ad Deum: vt ófferat dona & sacrifícia pro peccátis. Qui condolère possit iis qui ignórant & errant: quóniam & ipse circúmdatus est infirmitáte. Et proptéreà debet, quemádmodum pro pópulo, ita étiam & pro semetípso offérre pro peccátis. Nec quisquam sumit sibi honôrem: sed qui vocátur à Deo, tamquam Aaron. Sic & Christus non semetípsum clarificâuit vt Póntifex fíeret: sed qui locútus est ad eum: Fílius meus es tu, ego hódie génui te. Quemádmodum & in álio loco dicit: Tu es sacérdos in ætérnum secúndùm órdinem Melchísedech.

Ps. 20. Allelúia, allelúia. ℣. Surréxit pastor bonus, qui pósuit ánimam suam pro óuibus suis, & pro suo grege mori dignâtus est. Allelúia. ℣. Posuísti Dómine super caput eius corónam de lápide pretióso. Allelúia.

Sequéntia sancti Euangélij secúndùm Ioánnem.

Ioan. 10. IN illo témpore: Dixit Iesus Pharisæis. Ego sum pastor bonus. Bonus pastor ánimam suam dat pro óuibus suis. Mercenárius autem, & qui non est pastor, cuius non sunt oues própriæ, videt lupum veniéntem, & dimíttit oues, & fugit: & lupus rapit, & dispérgit oues. Mercenárius autem fugit, quia mercenárius est: & non pértinet ad eum de óuibus. Ego sum pastor bonus: & cognósco oues meas, & cognóscunt me meæ. Sicut nouit me pater, & ego agnósco patrem: & ánimam meam pono pro óuibus meis. Et álias oues hábeo, quæ non sunt ex hoc ouíli: & illas opórtet me addúcere, & vocem meam áudient: & fiet vnum ouíle, & vnus pastor. Credo.

Ps. 20. Offertorium. Posuísti Dómine in cápite eius corônam de lápide pretióso: vitam pétiit à te, & tribuísti ei, allelúia.

Secreta.

MVnera tibi Dómine dicáta sanctífica: & intercedénte beáto Stanisláo mártyre tuo atque Pontífice, per eádem nos placâtus inténde. Per Dóminum.

Ioan. 10. Communio. Ego sum pastor bo-

nus, allelúia: & cognóſco oues meas, & cognóſcunt me meæ, allelúia, allelúia. Poſtcommunio.

HÆc nos commúnio Dómine purget à crímine: & intercedénte beáto Staniſláo mártyre tuo atque Pontífice, cæléſtis remédij fáciat eſſe conſórtes. Per Dóminum noſtrum.

FESTA IVNII.

DIE III. In feſto S. Erasmi Epiſcopi & martyris, tempore Paſchali. Introitus.

Pſ. 65. PRotexíſti me Deus à conuéntu malignántium, allelúia: à multitúdine operántium iniquitâtem, allelúia,
Ibid. allelúia. Pſalm. Exáudi Deus oratiônem meam cùm déprecor: à timôre inimíci éripe ánimam meam.

℣. Glória Patri. Oratio.

DEus, cuius virtûte beâtus Eráſmus martyr & Póntifex, multa tormentôrum género ſuperâuit: fac nos quæſumus eius interceſſiône, vniuérſas inſídias inimicôrum noſtrôrum viſibílium & inuiſibílium cum gáudio ſuperâre, & in Chriſto bonis opéribus abundâre. Per Dóminum.

Epiſtola. Stabunt iuſti. de Communi Martt. tempore Paſchali.

Pſ. 88. Allelúia, allelúia. ℣. Confitebúntur cæli mirabília tua Dómine: étenim veritâtem tuam in eccléſia ſanctô-
Pſ. 20. rum. Allelúia. ℣. Poſuíſti, Dómine ſuper caput eius corônam de lápide pretióſo. Allelúia.

Euangelium. Ego ſum vitis ve ra: & pater meus agrícola eſt. in Communi Martyrum tempore Paſchali.

Offertorium. Confitebúntur cæli mirabília tua Dómine, & veritâtem tuam in eccléſia ſanctôrum, allelúia, allelúia. Pſ. 88.

Secreta.

MVnera tibi Dómine dicâta ſanctífica: & intercedénte beáto Eráſmo mártyre tuo atque Pontífice, per éadem nos placâtus inténde. Per Dóminum.

Communio. Lætábitur iuſtus in Pſ. 63.
Dómino, & ſperâbit in eo: & laudabúntur omnes recti corde, allelúia, allelúia. Poſtcommunio.

REféćti participatiône múneris ſacri, quæſumus Dómine Deus noſter: vt cuius exéquimur cultum, intercedénte beáto Eráſmo mártyre tuo atque Pōtífice ſentiâmus effectum. Per Dóminum.

In feſto ſancti Erasmi Epiſcopi & mart. poſt Pentec. Introitus. DIE III. IVN.

SAcerdótes Dei benedícite Dóminum: ſancti & húmiles corde laudâte Deum. Pſal. Dan. 3.
Benedícite ómnia ópera Dómini Dómino: laudâte & ſuperexaltâte eum in ſæcula. Verſ. Glória Patri. Oratio.

DEus, cuius virtûte beâtus Eráſmus martyr & Póntifex, multa tormentôrum génera ſuperâuit: fac nos, quæſumus, eius interceſſiône, vniuérſas inſídias inimicôrum noſtrôrum viſibílium & inuiſibílium cum gáudio

gáudio ſuperâre, & in Chriſto bonis opéribus abundâre. Per Dóminum noſtrum.

Lectio epíſtolæ beáti Pauli apóſtoli ad Corínthios.

2. Cor. 1. FRatres. Benedíctus Deus, & pater Dñi noſtri Ieſu Chriſti: pater miſericordiârum, & Deus totîus conſolatiônis: qui conſolâtur nos in omni tribulatiône noſtra: vt poſsîmus & ipſi conſolári eos, qui in omni preſſúra ſunt, per exhortatiônem qua exhortâmur & ipſi à Deo. Quóniam ſicut abúndant paſſiónes Chriſti in nobis: ita & per Chriſtum abúndat conſolátio noſtra. Siue autem tribulâmur, pro veſtra exhortatiône & ſalûte: ſiue conſolâmur, pro veſtra conſolatiône: ſiue exhortâmur, pro veſtra exhortatiône & ſalûte: quæ operâtur tolerántiam earúmdem paſſiônum, quas & nos pátimur: vt ſpes noſtra firma ſit pro vobis: ſciéntes, quóniam ſicut ſócij paſſiônum eſtis, ſic éritis & conſolatiônis: in Chriſto Ieſu Dómino noſtro.

Pſal. 8. Graduale. Glória & honôre coronáſti eum. ℣. Et conſtituíſti eum ſuper ópera mánuum tuârum, Dómine. Allelúia, allelúia. ℣. Hic eſt ſacérdos, quem coronâuit Dóminus. Allelúia.

Sequéntia ſancti Euangélij ſecúndùm Matthæum.

Matth. 16. IN illo témpore: Dixit Ieſus diſcípulis ſuis. Si quis vult venîre poſt me, ábneget ſemetípſum, & tollat crucem ſuam, & ſequâtur me. Qui enim volúerit ánimam ſuam ſaluam fácere, perdet eam. Qui autem perdíderit ánimam ſuam propter me, inuéniet eam. Quid enim prodeſt hómini, ſi vniuérſum mundum lucrêtur, ánimę verò ſuę detriméntum patiâtur? Aut quam dabit homo commutatiônem pro ánima ſua? Fílius enim hóminis ventûrus eſt in glória Patris ſui cum ángelis ſuis: & tunc reddet vnicuîque ſecúndùm ópera eius.

Offertorium. Inuéni Dauid ſeruum meum, óleo ſancto meo vnxi eum: manus enim mea auxiliábitur ei, & bráchium meum confortâbit eum. Pſ. 88.

Secreta.

MVnera tibi Dómine dicâta ſanctífica: & intercedénte beáto Eráſmo mártyre tuo atque Pontífice, per éadem nos placâtus inténde. Per Dóminum.

Communio. Poſuíſti Dómine Pſ. 20.
in cápite eius corônam de lápide pretióſo. Poſtcommunio.

REfécti participatiône múneris ſacri, quæſumus Dómine Deus noſter: vt, cuius exéquimur cultum, intercedénte beáto Eráſmo mártyre tuo atque Pontífice, ſentiâmus effectum. Per Dóminum noſtrum Ieſum Chriſtum.

FESTA IVLII.

In feſto ſanctæ Margaritæ virginis & martyris. Miſſa Me expectauérunt. de Communi Virginum & Martt. DIE XIII.

DIE XV. In festo Diuisionis sanctorum
Apostolorum. Introitus.

Ps. 138. MIhi autem nimis ho-
noráti sunt amíci tui
Deus : nimis confor-
tâtus est principâtus
Ibid. eôrum. Psal. Dómi-
ne probásti me, & cognouísti me: tu
cognouísti sessiônem meam, & re-
surrectiônem meam. Vers. Glória
Patri. Oratio.

DEus, qui Ecclésiam tuam
distribûtam per orbem ter-
rârum, sanctôrum Apostolôrum
prædicatiône fundásti: concêde
propítius : vt quorum hodiérna
die sub vna celebritâte recólimus
insígnia, eôrum in cunctis neces-
sitátibus nostris experiâmur suf-
frágia. Per Dóminum nostrum.

Léctio epístolæ beáti Pauli
apóstoli ad Ephésios.

Eph. 2. FRatres. Iam non estis hóspites
& áduenæ: sed estis ciues san-
ctôrum, & doméstici Dei, super-
ædificáti supra fundaméntũ apo-
stolôrum & prophetârum, ipso
summo angulári lápide Christo
Iesu, in quo omnis ædificátio con-
strúcta, crescit in templum san-
ctum in Dómino. In quo & vos
coædificámini in habitáculum
Dei, in Spíritu sancto.

Ps. 44. Graduale. Constítues eos prín-
cipes super omnem terram: mémores
erunt nóminis tui Dómine. ℣. Pro
pátribus tuis nati sunt tibi filij : pro-
ptéreà pópuli confitebúntur tibi. Al-
Ioan. 15. lelúia, allelúia. ℣. Ego vos elégi de
mundo, vt eâtis, & fructum afferâtis:
& fructus vester máneat. Allelúia.

Sequéntia sancti Euangélij
secúndùm Lucam.

IN illo témpore : Conuocátis Luc. 9.
Iesus duódecim Apóstolis, de-
dit illis virtûtem & potestâtem
super ómnia dæmónia: & vt lan-
guóres curárent. Et misit illos
prædicâre regnum Dei, & sanâre
infírmos. Et ait ad illos. Nihil tu-
léritis in via : neque virgam, ne-
que peram, neque panem, neque
pecúniam, neque duas túnicas
habeâtis. Et in quamcúmque do-
mum intrauéritis, ibi manête, &
inde ne exeâtis. Et quicúmque
non recéperint vos: exeúntes de
ciuitâte illa, étiam púluerem pe-
dum vestrôrum excútite in testi-
mónium supra illos. Egréssi au-
tem circuíbant per castélla euan-
gelizántes, & curántes vbîque.
Credo.

Offertorium. In omnem terram Ps. 18.
exîuit sonus eôrum : & in fines orbis
terræ verba eôrum.

Secreta.

GLóriam, Dómine, sanctô-
rum Apostolôrum tuôrum
perpétuam in eôrum diuisiône
recenséntes, quæsumus : vt eam,
sacris mystériis expiáti, dígniùs
celebrêmus. Per Dóminum no-
strum Iesum Christum.

Præfatio de Apostolis.

Communio. Vos, qui secúti Matth. 19.
estis me, sedébitis super sedes, iudi-
cántes duódecim tribus Israël.

Postcommunio.

PErcéptis Dómine sacramén-
tis, supplíciter exorâmus:
vt intercedéntibus beátis Apó-

stolis tuis, quæ pro illôrum vene-
ránda gérimus commemoratiô-
ne, nobis profíciant ad medêlam.
Per Dóminum nostrum.

DIE XXIV. In festo S. CHRISTINÆ Virg.
& Martyris. Missa. Me expecta-
uérunt. de Communi Virginum
& Martyrum.

Et fit commem. Vigiliæ sancti
IACOBI, nisi sit Patrona vel Titu-
laris Ecclesiæ.

FESTA AVGVSTI.

DIE XVI. In festo sancti HYACINTHI con-
fessoris. Introitus.

Ps. 36. OS iusti meditábitur
sapiéntiam, & lin-
gua eius loquêtur iu-
dícium : lex Dei eius
in corde ipsîus. Psal.
Ibid. Noli æmulári in malignántibus: ne-
que zeláueris faciéntes iniquitâtem.
℣. Glória Patri. Oratio.

ADésto Dómine, supplicatió-
nibus nostris, quas in beáti
Hyacínthi confessôris tui solem-
nitâte deférimus: vt qui nostræ
iustítiæ fidúciam non habêmus,
eius qui tibi plácuit, précibus ad-
iuuêmur. Per Dóminum.

vel Oratio.

DEus, qui beâtum Hyacín-
thum Confessôrem tuum,
in diuérsis natiônum pópulis
óperum sanctitâte, & miraculô-
rum glória fecísti conspícuum:
da nobis, vt suis in mélius refor-
mêmur exémplis; & in aduérsis,
protegâmur auxíliis. Per Dómi-
num nostrum.

Secunda Oratio, de Octaua As-
sumptionis B. Mariæ. Famulô-
rum tuôrum.

Tertia, de Octaua S. Lauren-
tij. Oratio. Da nobis.

Léctio epístolæ beáti Pauli
apóstoli ad Corínthios.

FRatres. Spectáculum facti 1. Cor. 4.
sumus mundo, & ángelis, &
homínibus. Nos stulti propter
Christum : vos autem prudéntes
in Christo. Nos infírmi : vos au-
tem fortes. Vos nóbiles : nos au-
tem ignóbiles. Vsque in hanc ho-
ram & esurîmus, & sitîmus, &
nudi sumus, & cólaphis cędimur,
& instábiles sumus, & laborâmus
operántes mánibus nostris. Ma-
ledícimur : & benedícimus. Per-
secutiônem pátimur : & sustinê-
mus. Blasphemâmur : & obsecrâ-
mus. Tamquam purgaménta hu-
ius mundi facti sumus, ómnium
peripsêma vsque adhuc. Non vt
confúndam vos, hæc scribo : sed
vt fílios meos charíssimos mó-
neo : in Christo Iesu Dómino
nostro.

Graduale. Iustus vt palma florê- Ps. 91.
bit : sicut cedrus Líbani, multiplicá-
bitur in domo Dómini. ℣. Ad an-
nuntiándum manè misericórdiam
tuam, & veritâtem tuam per noctem.
Allelúia, allelúia. ℣. Beâtus vir, qui Iac. 1.
suffert tentatiônem : quóniam cùm
probâtus fúerit, accípiet corônam vi-
tæ. Allelúia.

Sequéntia sancti Euangélij
secúndùm Lucam.

IN illo témpore: Dixit Iesus di- Luc. 12
scípulis suis. Sint lumbi vestri

præcíncti, & lucérnæ ardéntes in mánibus veſtris. Et vos ſímiles homínibus expectántibus dóminum ſuum, quando reuertâtur à núptiis: vt cùm vénerit & pulſáuerit, conféſtim apériant ei. Beáti ſerui illi, quos cùm vénerit dóminus, inuénerit vigilãtes. Amen dico vobis, quòd præcínget ſe, & fáciet illos diſcũbere, & tránſiens miniſtrâbit illis. Et ſi vénerit in ſecúnda vigília, & ſi in tértia vigília vénerit, & ita inuénerit: beáti ſunt ſerui illi. Hoc autem ſcitôte, quóniam ſi ſciret paterfamílias qua hora fur venîret: vigilâret útique, & non ſíneret pérfodi domum ſuam. Et vos eſtôte paráti: quia qua hora non putâtis, fílius hóminis véniet. Credo.

Pſ. 88. Offertorium. Véritas mea, & miſericórdia mea cum ipſo: & in nómine meo exaltábitur cornu eius.

Secreta.

PRæſta nobis, quæſumus omnípotens Deus: vt noſtræ humilitâtis oblátio, & pro tuôrum tibi grata ſit honôre ſanctôrum, & nos córpore páriter & mente puríficet. Per Dóminum.

Matth. 24. Communio. Beâtus ſeruus, quem cùm vénerit dóminus, inuénerit vigilántem: amen dico vobis, ſuper ómnia bona ſua conſtítuet eum.

Poſtcommunio.

QVæſumus omnípotẽs Deus: vt qui cęléſtia aliménta percépimus, intercedẽte beáto Hyacíntho confeſſôre tuo, per hæc contra ómnia aduérſa muniâmur. Per Dóminum.

In feſto ſanctæ BENIGNÆ Virginis & Martyris. DIE XIX.

Introitus.

Pſ. 118. LOquêbar de teſtimóniis tuis in conſpéctu regum, & non confundêbar: & meditâbar in mandátis tuis, quæ diléxi nimis. Pſal. Beáti immaculáti in via: qui ámbulant in lege Dómini. ℣. Glória Patri. Ibid.

Oratio.

DEus, qui inter cétera poténtiæ tuæ mirácula, étiam in ſexu frágili victóriam martyrij contuliſti: concêde propítius: vt qui beátæ Benígnæ vírginis & mártyris tuæ natalítia cólimus: per eius ad te exẽpla gradiâmur. Per Dóminum noſtrum.

Epiſtola. Confitêbor tibi, Dómine rex. de Communi Virginis & Martyris.

Pſ. 45. Graduale. Adiuuâbit eam Deus vultu ſuo: Deus in médio eius, non commouébitur. ℣. Flúminis ímpetus lætíficat ciuitâtem Dei: ſanctificâuit tabernáculum ſuum Altíſſimus. Allelúia, allelúia. ℣. Adducéntur Regi vírgines poſt eam, próximæ eius afferéntur tibi in lætítia. Allelúia. Pſ. 44.

Euangelium. Símile eſt regnum cælôrum decẽ virgínibus. de Communi Virginis & Martyris.

Offertorium. Diffûſa eſt grátia in lábiis tuis, proptéreà benedíxit te Deus in ætéruum, & in ſæculum ſæculi. Ibid.

Secreta.

SVſcipe Dómine múnera, quæ in beátæ Benígnæ vírginis &

mártyris tuæ ſolemnitâte deférimus: cuius nos confídimus patrocínio liberári. Per Dóminum noſtrum.

Matth. 25. Communio. Quinque prudéntes vírgines accepérunt óleum in vaſis ſuis cum lampádibus: média autem nocte clamor factus eſt, ecce ſponſus venit, exîte óbuiàm Chriſto Dño.

Poſtcommunio.

AVxiliéntur nobis Dómine, ſumpta myſtéria: & intercedénte beáta Benígna vírgine & mártyre tua, ſempitérna fáciant protectiône gaudêre. Per Dóminum noſtrum.

DIE XXIX. In feſto ſanctæ SABINÆ martyris. Introitus.

Pſ. 118. ME expectauérunt peccatóres, vt pérderent me: teſtimónia tua Dñe intelléxi: omnis conſummatiônis vidi finem: latum mandâtum tuum nimis. Pſalm. Beáti immaculáti in via: qui ámbulant in lege Dómini. ℣. Glória Patri. Ibid.

Oratio.

DEus, qui inter cétera poténtiæ tuæ mirácula, étiam in ſexu frágili victóriam martyrij contuliſti: concêde propítius: vt qui beátæ Sabínæ mártyris tuæ natalítia cólimus, per eius ad te exémpla gradiâmur. Per Dóminum noſtrum.

Epiſtola. Confitêbor tibi Dómine rex. vt in Communi Virginis & Martyris.

Pſ. 44. Graduale. Dilexíſti iuſtítiam, & odíſti iniquitâtem. ℣. Proptéreà vnxit te Deus, Deus tuus óleo lætítiæ. Allelúia, allelúia. ℣. Spécie tua, & pulchritúdine tua: inténde, próſperè procêde, & regna. Allelúia.

Euangelium. Símile eſt regnum cælôrũ theſáuro abſcóndito in agro. de Communi Virginis & Mart.

Offertorium. Diffûſa eſt grátia in lábiis tuis, proptéreà benedíxit te Deus in ætérnum, & in ſæculum ſæculi, allelúia.

Secreta.

HOſtias tibi Dómine, beátæ Sabínæ mártyris tuæ dicátas méritis, benígnus aſſûme: & ad perpétuum nobis tríbue prouenîre ſubſídium. Per Dóminum noſtrum.

Communio. Príncipes perſecúti ſunt me gratis, & à verbis tuis formidâuit cor meum: lætâbor ego ſuper elóquia tua, quaſi qui inuênit ſpólia multa. Pſ. 118.

Poſtcommunio.

DIuíni múneris largitâte ſatiáti, quæſumus Dómine Deus noſter: vt intercedénte beáta Sabína mártyre tua, in eius ſemper participatiône viuâmus. Per Dóminum noſtrum.

FESTA SEPTEMBRIS.

In feſto ſancti DALMATII martyris. Introitus. DIE X.

IN virtûte tua, Dómine, lætábitur iuſtus: & ſuper ſalutâre tuum exultâbit vehemẽter: deſidérium ánimę eius tribuíſti ei. Pſalm. Quóniam præ- Pſ. 20. Ibid.

uenísti eum in benedictiónibus dulcédinis: posuísti in cápite eius corônam de lápide pretióso. ℣. Glória Patri, & Filio.

Oratio.

OMnípotẽs sempitérne Deus, fidélium tuôrum indefíciens conseruâtor, qui gloriósi mártyris tui Dalmátij clarificâre dignâtus es solemnitâtem: exáudi preces supplicántis Ecclésiæ, & præsta: vt quæ deuótè éxpetit, eo suffragánte cónsequi mereâtur. Per Dóminum nostrum.

Epistola. Memor esto Dóminum Iesum Christum. de Communi vnius Martyris.

Ps. 20. Graduale. Glória & honôre coronásti eum. ℣. Et constituísti eum super ópera mánuum tuárum, Dómine.

Ioan. 8. Allelúia, allelúia. ℣. Qui séquitur me, non ámbulat in ténebris: sed habêbit lumen vitę ætérnæ. Allel.

Euangelium. Si quis vult venîre post me. de Communi vnius Martyris Pontificis.

Ps. 20. Offertorium. In virtûte tua Dómine lætábitur iustus: & super salutâre tuum exultâbit veheménter: desidérium ánimæ eius tribuísti ei.

Secreta.

MVnéribus nostris, quæsumus Dómine, precibúsque suscéptis: & cæléstibus nos munda mystériis, & cleménter exáudi. Per Dóminum nostrum.

Matth. 16. Communio. Qui vult venîre post me, ábneget semetípsum: & tollat crucem suam, & sequâtur me.

Postcommunio.

REfécti participatiône múneris sacri, quæsumus Dómine Deus noster: vt cuius exéquimur cultum, intercedénte beáto Dalmátio mártyre tuo, sentiâmus effectum. Per Dóminum nostrum.

DIE XXIV. In festo sancti TYRSI martyris. Introitus.

Ps. 63. LÆtábitur iustus in Dómino, & sperâbit in eo: & laudabúntur omnes recti corde.

Ibid. Psalm. Exáudi Deus oratiônem meam cùm déprecor: à timôre inimíci éripe ánimam meam. ℣. Glória Patri.

Oratio.

OMnípotẽs sempitérne Deus, qui beâtũ Tyrsum pro confessiône nóminis tui fortem in certámine fecísti, & eũ per martyrij palmam sanctis tuis in cælis sociásti: præsta quæsumus: vt qui martyrij sui diem ánnua deuotiône recólimus, ipsîus intercessiône in confessiône fídei simus stábiles, & in bonis opéribus efficáces. Per Dóminum.

Epistola. Omne gáudium existimâte, fratres mei. de Communi vnius Martyris.

Ps. 36. Graduale. Iustus cùm cecíderit non collidêtur: quia Dóminus suppônit manum suam. ℣. Tota die miserêtur, & cómmodat: & semen eius in benedictiône erit. Allelúia, allelúia. ℣. Posuísti Dómine super caput eius corônam de lápide pretióso. Allelúia.

Euangelium. Nihil opértum, quod non reuelêtur. de Communi vnius Martyris.

Psal. 8. Offertorium. Glória & honôre coronásti eum: & constituísti eum super ópera mánuum tuârum Dñe.

Secreta.

ACcépta sit in cõspéctu tuo, Dómine, nostra deuótio: & eius nobis fiat supplicatiône salutâris, pro cuius solemnitâte defértur. Per Dóminum.

Ioan. 12. Communio. Qui mihi minístrat, me sequâtur: & vbi sum ego, illic & minister meus erit.

Postcommunio.

DA, quæsumus Dñe Deus noster: vt, sicut tuôrũ commemoratiône sanctôrum, temporáli gratulâmur offício; ita perpétuo lętêmur aspéctu. Per Dñm.

DIE XXVII. In festo Translationis S. STANISLAI Episcopi & martyris. Introitus.

Eccl. 45. STátuit ei Dóminus testaméntum pacis, & príncipem fecit eum: vt sit illi sacerdótij dígnitas in ætérnum.

Ps. 131. Psalm. Meménto Dómine Dauid: & omnis mãsuetúdinis eius. ℣. Glória Patri.

Oratio.

DEus, pro cuius honôre gloriôsus Póntifex Stanislâus gládiis impiôrum occúbuit: præsta quæsumus: vt omnes qui eius implórant auxílium, petitiônis suæ salutârem consequántur efféctum. Per Dóminum nostrum.

Léctio epístolæ beáti Pauli apóstoli ad Hebræos.

Hebr. 5. FRatres: Omnis Póntifex ex homínibus assúmptus, pro homínibus constitúitur in iis quę sunt ad Deum: vt ófferat dona & sacrifícia pro peccátis. Qui condolêre possit iis qui ignórant & errant: quóniam & ipse circúmdatus est infirmitâte. Et proptéreà debet, quemádmodum pro pópulo, ita étiam & pro semetípso offérre pro peccátis. Nec quisquam sumit sibi honôrem: sed qui vocâtur à Deo, tamquam Aaron. Sic & Christus non semetípsum clarificâuit vt Póntifex fíeret: sed qui locûtus est ad eum: Fílius meus es tu, ego hódie génui te. Quemádmodum & in álio loco dicit: Tu es sacérdos in ætérnum secúndùm órdinem Melchísedech.

Graduale. Ecce sacérdos magnus, qui in diêbus suis plácuit Deo. Eccl. 44.
℣. Non est inuéntus símilis illi, qui conseruâret legem Excélsi. Allelúia, allelúia. ℣. Ego sum pastor bonus: & Ioan. 10.
cognósco oues meas: & cognóscunt me meæ. Allelúia.

Sequéntia sancti Euangélij secúndùm Ioánnem

IN illo témpore: Dixit Iesus Ioan. 10.
Pharisæis. Ego sum pastor bonus. Bonus pastor ánimam suam dat pro óuibus suis. Mercenárius autem, & qui non est pastor, cuius non sunt oues própriæ, videt lupum veniéntem, & dimíttit oues, & fugit: & lupus rapit, & dispérgit oues. Mercenárius autem fugit, quia mercenárius est: & nõ pértinet ad eum de óuibus. Ego sum pastor bónus: & cognósco óues meas, & cognóscunt

me meæ. Sicut nouit me pater, & ego agnóſco patrem: & ánimam meam pono pro óuibus meis. Et álias oues hábeo, quæ non ſunt ex hoc óuili: & illas óportet me addúcere, & vocem meam áudient: & fiet vnum ouîle, & vnus paſtor. Credo.

Pſ. 20. Offertorium. Poſuíſti Dómine in cápite eius corônam de lápide pretióſo: vitam pétiit à te, & tribuíſti ei, allelúia.

Secreta.

MVnera tibi Dómine dicâta ſanctífica: & intercedénte beáto Staniſláo mártyre tuo atque Pontífice, per éadem nos placâtus inténde. Per Dóminum.

Ioan. 10. Communio. Ego ſum paſtor bonus, & cognóſco oues meas: & cognóſcunt me meæ.

Poſtcommunio.

HÆc nos commúnio Dómine purget à crímine: & intercedénte beáto Staniſláo mártyre tuo atque Pontífice, cæléſtis remédij fáciat eſſe conſórtes. Per Dóminum noſtrum.

DIE XXVIII. In feſto ſancti VENCESLAI martyris. Introitus.

Pſ. 63. LÆtábitur iuſtus in Dómino, & ſperâbit in eo: & laudabúntur omnes recti corde.

Ibid. Pſalm. Exáudi Deus oratiônem meam cùm déprecor: à timôre inimíci éripe ánimam meam. ℣. Glória Patri.

Oratio.

DEus, qui beáti Venceſlái nobilitâtem in meliôrem mutáſti dignitâtem, & eum per martyrij palmam ad cæléſtem perduxíſti glóriam: eius précibus nos, quæſumus, ab omni aduerſitâte líbera, & ætérnæ beatitúdinis concêde pérfrui glória. Per Dóminum noſtrum.

Léctio epíſtolæ beáti Petri apóſtoli.

1. Pet. 4 CHaríſſimi: Communicántes Chriſti paſſiónibus, gaudête: vt & in reuelatiône glóriæ eius gaudeâtis exultántes. Si exprobrámini in nómine Chriſti, beáti éritis: quóniam quod eſt honôris, glóriæ, & virtûtis Dei, & qui eſt eius ſpíritus, ſuper vos requiéſcit. Nemo autē veſtrûm patiâtur vt homicîda, aut fur, aut malédicus, aut alienôrum appetîtor. Si autem vt Chriſtiânus: non erubéſcat, gloríficet autem Deum in iſto nómine. Quóniam tempus eſt, vt incípiat iudícium à domo Dei. Si autem primùm à nobis: quis finis eôrum qui non credunt Dei euangélio? Et ſi iuſtus vix ſaluábitur: ímpius & peccâtor vbi parébunt? Itaque & hi qui patiúntur ſecúndùm voluntâtem Dei: fidéli creatóri comméndent ánimas ſuas in benefáctis.

Pſ. 65. Graduale. Iuſtus cùm cecíderit, non collidêtur: quia Dóminus ſuppônit manum ſuam. ℣. Tota die miſerêtur, & cómmodat: & ſemen eius in benedictiône erit. Allelúia, allelúia.

Ioan. 8. ℣. Qui ſéquitur me, non ámbulat in ténebris: ſed habêbit lumen vitæ ætérnæ. Allelúia.

Sequéntia ſancti Euangélij ſecúndùm Matthæum.

Matth. 16. IN illo témpore: Dixit Ieſus diſcípulis ſuis. Si quis vult venîre poſt me, ábneget ſemetípſum, & tollat crucem ſuam, & ſequâtur me. Qui enim volúerit ánimam ſuam ſaluam fácere, perdet eam. Qui autem perdíderit ánimam ſuam propter me, inuéniet eàm. Quid enim pródeſt hómini, ſi vniuérſum mundum lucrêtur, ánimę verò ſuę detriméntum patiâtur? Aut quam dabit homo commutatiônem pro ánima ſua? Fílius enim hóminis ventûrus eſt in glória Patris ſui cum ángelis ſuis: & tunc reddet vnicuîq. ſecúndùm ópera eius. Credo.

Pſ. 20. Offertorium. Poſuíſti Dómine in cápite eius corônam de lápide pretióſo: vitam pétiit à te, & tribuíſti ei, allelúia.

Secreta.

ACcépta ſit in conſpéctu tuo, Dómine, noſtra deuótio: & eius nobis fiat ſupplicatiône ſalutâris, pro cuius ſolemnitâte deféṛtur. Per Dóminum noſtrum.

Ioan. 12. Communio. Qui mihi miníſtrat, me ſequâtur: & vbi ſum ego, illic & miníſter meus erit.

Poſtcommunio.

REfécti participatiône múneris ſacri, quæſumus Dómine Deus noſter: vt, cuius exéquimur cultum, intercedénte beáto Venceſláo mártyre tuo, ſentiâmus efféctum. Per Dóminum noſtrum.

FESTA OCTOBRIS.

DIE X. In feſto ſanctorum GEREONIS & ſociorum martyrum.

Introitus.

Pſ. 33. CLamauérunt iuſti, & Dn̄s exaudîuit eos: & ex ómnibus tribulatiónibus eôrum liberâuit eos.

Ibid. Pſal. Benedîcam Dóminum in omni témpore: ſemper laus eius in ore meo. ℣. Glória Patri.

Oratio.

DEus, qui hunc diem mártyrum tuôrum Gereônis ſociorúmque eius paſſiône conſecráſti: præſta quæſumus: vt eôrum ſuffrágia apud te ſentiâmus in cælis, quorum hîc ſolémnia pio amôre venerâmur in terris. Per Dóminum noſtrum.

Léctio libri Apocalypſis beáti Ioánnis apóſtoli.

Apoc. 7 IN diêbus illis: Reſpóndit vnus de ſenióribus, & dixit mihi. Hi, qui amícti ſunt ſtolis albis, qui ſunt, & vnde venérunt? Et dixi illi. Dómine mi, tu ſcis. Et dixit mihi. Hi ſunt, qui venérunt de tribulatiône magna: & lauérunt ſtolas ſuas, & dealbauérunt eas in ſánguine Agni. Ideò ſunt ante thronum Dei, & ſéruiunt ei die ac nocte in templo eius: & qui ſedet in throno, habitâbit ſuper illos. Non eſúrient neque ſítient ampliùs: nec cadet ſuper illos ſol, neque vllus æſtus. Quóniam Agnus, qui in médio throni eſt, reget illos: & dedûcet eos ad vitæ fontes aquârum: & abſ-

terget Deus omnem lácrymam ab óculis eôrum.

Ps.78. Graduale. Víndica Dómine, sanguinem sanctôrum tuôrum, qui effûsus est. ℣. Posuérunt mortália seruôrum tuôrum Dómine, escas volatílibus cæli: carnes sanctôrum tuôrum béstiis terræ. *Ps.67.* Allelúia, allel. ℣. Iusti epuléntur, & exúltent in conspéctu Dei: & delecténtur in lętítia. Allelúia.

Sequéntia sancti Euangélij secúndùm Lucam.

Luc.6. IN illo témpore: Descéndēs Iesus de mōte, stetit in loco campéstri, & turba discipulôrū eius, & multitûdo copiôsa plebis ab omni Iudæa & Ierúsalē, & marítima, & Tyri & Sidônis: qui vénerant vt audírent eum, & sanaréntur à languóribus suis. Et qui vexabántur à spiritíbus immúndis, curabántur. Et omnis turba quærêbat eum tángere: quia virtus de illo exîbat, & sanâbat omnes. Et ipse eleuátis óculis in discípulos suos, dicêbat. Beáti páuperes, quia vestrum est regnum Dei. Beáti qui nunc esurîtis: quia saturabímini. Beáti qui nunc fletis: quia ridébitis. Beáti éritis cùm vos óderint hómines, & cùm separáuerint vos, & exprobráuerint, & eiécerint nomen vestrum tamquam malum, propter fílium hóminis. Gaudête in illa die, & exultâte: ecce enim merces vestra, multa est in cælo.

Ps.147. Offertorium. Exultábunt sancti in glória, lætabúntur in cubílibus suis: exaltatiónes Dei in faucibus eôrum, allelúia.

Secreta.

MVnera tibi Dómine, nostrę deuotiônis offérimus: quæ & pro tuôrum tibi grata sint honôre iustôrum; & nobis salutária, te miseránte, reddántur. Per Dóminum nostrum.

Communio. Posuérunt mortália seruôrum tuôrum Dómine, escas volatílibus cæli: carnes sanctôrum tuôrum béstiis terræ: secúndùm magnitúdinem bráchij tui pósside filios morte punitôrum. *Ps.78.*

Postcommunio.

DEus, qui nos & cæléstibus páscere sacraméntis, & sanctôrum mártyrum tuôrum Gereônis sociorúmque eius non désinis fouêre suffrágiis: præsta quæsumus: vt quod illis ad glóriam contulísti, ad nostræ prosit fragilitâtis auxílium. Per Dóminum.

In festo sanctæ HEDVIGIS viduæ. Introitus. *DIE XV.*

GAudeâmus omnes in Dómino, diē festum celebrántes sub honôre beátæ Héduîgis: de cuius solemnitâte gaudent Angeli, & colláudant fílium Dei. Psalm. Eructâuit cor meum verbum bonum: dico ego ópera mea regi. *Ps.44.* ℣. Glória Patri.

Oratio.

DEus grátiæ dator & glóriæ, tuæ nobis propítius sinum pietâtis áperi, & præsta: vt qui manéntem ciuitâtem hîc non habêmus, ad futûram quam quærimus, beátæ Heduîgis interueniénte

niénte suffrágio, perducâmur. Per Dóminum nostrum.

Léctio libri Sapiéntiæ.

Prouer.31. MVlíerem fortem quis inuéniet? Procul, & de últimis fínibus prétium eius. Confîdit in ea cor viri sui: & spólijs non indigêbit. Reddet ei bonum, & non malum, ómnibus diêbus vitæ suæ. Quæsîuit lanam & linum: & operâta est consílio mánuum suârum. Facta est quasi nauis institôris, de longè portans panem suum. Et de nocte surréxit, dedítque prædam doméstiscis suis, & cibária ancíllis suis. Considerâuit agrum, & emit eum: de fructu mánuum suârum plantâuit víneam. Accínxit fortitúdine lumbos suos: & roborâuit bráchium suum. Gustâuit & vidit, quia bona est negotiátio eius: non extinguêtur in nocte lucérna eius. Manum suam misit ad fórtia: & dígiti eius apprehendérunt fusum. Manum suam apéruit ínopi: & palmas suas exténdit ad páuperem. Non timêbit dómui suæ à frigóribus niuis: omnes enim doméstici eius vestíti sunt duplícibus. Stragulâtam vestem fecit sibi: byssus & púrpura induméntum eius. Nóbilis in portis vir eius, quando séderit cum senatóribus terræ. Síndonem fecit & véndidit, & cíngulum trádidit Chananæo. Fortitûdo & decor induméntum eius, & ridêbit in die nouíssimo. Os suum apéruit sapiéntiæ: & lex cleméntiæ in lingua eius. Considerâuit sémitas domus suæ: & panem otiôsa non comêdit. Surrexérunt fílij eius, & beatíssimam prædicauérunt: vir eius, & laudâuit eam. Multæ fíliæ congregauérunt diuítias: tu supergréssa es vniuérsas. Fallax grátia, & vana est pulchritûdo: múlier timens Dóminum, ipsa laudábitur. Date ei de fructu mánuum suârum: & laudent eam in portis ópera eius.

Graduale. Diffûsa est grátia in lábiis tuis, proptéreà benedíxit te Deus in ætérnum. *Ps.44.* ℣. Propter veritâtem, & mansuetúdinem, & iustítiam: & dedûcet te mirabíliter déxtera tua. Allelúia, allelúia. ℣. Spécie tua, & pulchritúdine tua: inténdē, próspere procêde, & regna, allelúia. *Ibid.*

Sequéntia sancti Euangélij secúndùm Matthæum.

IN illo témpore: Dixit Iesus discípulis suis parábolam hanc. *Matth.13.f* Símile est regnum cælôrum thesáuro abscóndito in agro: quem qui inuênit homo, abscóndit, & præ gáudio illîus vadit, & vendit vniuérsa quæ habet, & emit agrum illum. Iterùm, símile est regnum cælôrum hómini negotiatóri, quærénti bonas margarítas. Inuénta autem vna pretiósa margaríta, ábiit, & véndidit ómnia quæ hábuit, & emit eam. Iterùm, símile est regnum cælôrum sagénæ missæ in mare, & ex omni génere píscium congregánti. Quam, cùm implêta esset, educéntes, & secus littus sedéntes, elegérunt bonos in vasa, malos autem foras misérunt. Sic erit in

conſummatiône ſæculi. Exíbunt Angeli, & ſeparábunt malos de médio iuſtôrum, & mittent eos in camînum ignis. Ibi erit fletus, & ſtridor déntium. Intellexíſtis hæc ómnia? dicunt ei: Etiam. Ait illis. Ideò, omnis ſcriba doctus in regno cęlôrum, ſímilis eſt hómini patrifamílias, qui profert de theſáuro ſuo noua & vétera. Credo.

Pſ.44. Offertorium. Fíliæ regum in honôre tuo, áſtitit regîna à dextris tuis in veſtítu deauráto, circúmdata varietâte.

Secreta.

ACcépta tibi ſit, Dómine, ſacrátæ plebis oblátio, pro tuôrum honôre ſanctôrum, quorum ſe méritis de tribulatiône percepíſſe cognóſcit auxílium. Per Dóminum noſtrum.

Ibid. Communio. Diffûſa eſt grátia in lábiis tuis, proptéreà benedíxit te Deus in ætérnum.

Poſtcommunio.

SVmpta, quæſumus omnípotens Deus, hóſtia ſalutâris, ab aduérſis nos ómnibus tueâtur incúrſibus: & poſt huius labóres exílij, beátæ Heduîgis interueniéntibus méritis, ducat ad réquiem opuléntam. Per Dñm.

DIE XX. In feſto Tranſlationis S. ADALBERTI Epiſcopi & martyris. Introitus.

Eccli. 45. STátuit ei Dóminus teſtaméntum pacis, & príncipem fecit eum, vt ſit illi ſacerdótij dígnitas in ætérnum.

Pſ.131. Pſal. Meménto Dómine Dauid: & omnis manſuetúdinis eius. ℣. Glória Patri.

Oratio.

TVam nobis indulgéntiam, quæſumus Dómine, beâtus Adalbértus Epíſcopus & martyr implôret: vt & delícta nobis cleménter ignóſcas, & benefícia deſiderâta concédas. Per Dóminum noſtrum.

Léctio epíſtolæ beáti Pauli apóſtoli ad Corínthios.

FRatres. Benedíctus Deus, & Pater Dómini noſtri Ieſu 2.Cor. 1.
Chriſti: Pater miſericordiârum, & Deus totîus conſolatiônis: qui conſolâtur nos in omni tribulatiône noſtra: vt poſsîmus & ipſi conſolári eos, qui in omni preſſúra ſunt, per exhortatiônem qua exhortâmur & ipſi à Deo. Quóniam ſicut abúndant paſſiónes Chriſti in nobis: ita & per Chriſtum abúndat conſolátio noſtra. Siue autem tribulâmur, pro veſtra exhortatiône & ſalûte: ſiue conſolâmur, pro veſtra conſolatiône: ſiue exhortâmur pro veſtra exhortatiône & ſalûte: quæ operâtur tolerántiam earúmdem paſſiônum, quas & nos pátimur: vt ſpes noſtra firma ſit pro vobis: ſciéntes, quóniam ſicut ſócij paſſiônum eſtis, ſic éritis & conſolatiônis: in Chriſto Ieſu Dómino noſtro.

Graduale. Inuéni Dauid ſeruum meum, óleo ſancto meo vnxi eum: Pſ.88.
manus enim mea auxiliábitur ei, & bráchium meum confortâbit eum. ℣. Nihil profíciet inimîcus in eo: & fílius iniquitâtis non nocêbit ei.

Pſ.109. Allelúia, allelúia. ℣. Tu es ſacérdos in æternum ſecúndùm órdinem Melchíſedech. Allelúia.

Sequéntia ſancti Euangélij ſecúndùm Lucam.

Luc. 24 IN illo témpore: Dixit Ieſus turbis. Si quis venit ad me, & non odit patrem ſuum & matrem, & vxôrem & fílios, & fratres & ſoróres, adhuc autem & ánimam ſuam: non poteſt meus eſſe diſcípulus. Et qui non báiulat crucem ſuam, & venit poſt me: non poteſt meus eſſe diſcípulus. Quis enim ex vobis volens turrim ædificâre, non priùs ſedens cómputat ſumptus qui neceſſárij ſunt, ſi hábeat ad perficiéndum: ne, poſteâquam poſúerit fundaméntum, & non potúerit perfícere, omnes qui vident, incípiant illúdere ei, dicéntes: quia hic homo cœpit ædificâre, & non pótuit conſummâre? Aut quis rex itûrus commíttere bellum aduérſus álium regem, non ſedens priùs cógitat, ſi poſſit cum decem míllibus occúrrere ei, qui cum vigínti míllibus venit ad ſe? Alióquin, adhuc illo longè agénte, legatiônem mittens, rogat ea quæ pacis ſunt. Sic ergo omnis ex vobis, qui non renúntiat ómnibus quæ póſſidet: non poteſt meus eſſe diſcípulus. Credo.

Pſ.20. Offertorium. Poſuíſti Dómine in cápite eius corônam de lápide pretióſo: vitam pétiit à te, & tribuíſti ei, allelúia.

Secreta.

SAcrifícium exhíbitum, quæſumus Dómine, benígnus aſſûme: vt quod nómini tuo in ſolemnitâte (vel commemoratiône) beáti Adalbérti mártyris tui atque Pontíficis deférimus, nobis proſit ad véniam. Per Dóminum noſtrum.

Communio. Semel iuráui in ſancto meo: ſemen eius in ætérnum manêbit: & ſedes eius ſicut ſol in conſpéctu meo, & ſicut luna perfécta in ætérnum: & teſtis in cælo fidêlis. Pſ.88.

Poſtcommunio.

REfécti Dómine, munéribus ſacris, ſúpplices te deprecâmur: vt indulgéntiam tuam nobis intercéſſio beáti Adalbérti mártyris tui atque Pontíficis ſemper implôret. Per Dóminum noſtrum Ieſum Chriſtum.

In feſto ſanctæ VRSVLÆ & ſociarum. Introitus. DIE XXI.

GAudêamus omnes in Dómino, diē feſtum celebrātes ſub honôre Vndecim míllium vírginum: de quarum paſſiône gaudent Angeli, & colláudant fílium Dei. Pſalm. Exultâte iuſti in Dómino: recta decet colPſ.32. laudátio. ℣. Glória Patri.

Oratio.

DA nobis, quæſumus Dómine Deus noſter, ſanctârum vírginum & mártyrum tuârum Vrſulæ & ſociârum eius, palmas inceſſábili deuotiône venerári: vt quas digna mente non póſſumus

celebrâre, humílibus ſaltem frequentêmus obſéquiis. Per Dóminum noſtrum.

Pro commemoratione ſancti Hilarionis Abbatis.

Oratio.

INtercéſſio nos, quæſumus Dómine, beáti Hilariónis abbâtis commêndet: vt quod noſtris méritis non valêmus, eius patrocínio aſſequâmur. Per Dóminum noſtrum.

Lectio epiſtolæ beáti Pauli apóſtoli ad Corínthios.

1. Cor. 7. FRatres. De virgínibus præcéptum Dómini non hábeo: conſílium autem do, tamquam miſericórdiam conſecûtus à Dómino, vt ſim fidêlis. Exíſtimo ergo hoc bonum eſſe propter inſtántem neceſſitâtem, quóniam bonum eſt hómini ſic eſſe. Alligâtus es vxóri? noli quærere ſolutiónem. Solûtus es ab vxôre? noli quærere vxôrem. Si autem accéperis vxôrem, non peccáſti. Et ſi núpſerit virgo, non peccáuit. Tribulatiônem tamen carnis habébunt huiúſmodi. Ego autem vobis parco. Hoc ítaque dico, fratres: tempus breue eſt. Réliquum eſt, vt & qui habent vxóres, tamquam non habéntes ſint: & qui flent, tamquam non flentes: & qui gaudent, tamquam non gaudéntes: & qui emunt, tamquam non poſſidéntes: & qui vtúntur hoc mundo, tamquam non vtántur. Prǽterit enim figûra huius mundi. Volo autem vos ſine ſollicitúdine eſſe. Qui ſine vxôre eſt, ſollícitus eſt quæ Dómini ſunt, quómodo pláceat Deo. Qui autem cum vxôre eſt, ſollícitus eſt quæ ſunt mundi, quómodo pláceat vxóri: & diuíſus eſt. Et múlier innúpta & virgo cógitat quæ Dómini ſunt: vt ſit ſancta & córpore & ſpíritu: in Chriſto Ieſu Dómino noſtro.

Graduale. Exultábunt ſancti in glória: lætabúntur in cubílibus ſuis. Pſ. 149. ℣. Cantâte Dómino cánticum nouum: laus eius in eccléſia ſanctórum. Allelúia, allelúia. ℣. Adducéntur Regi vírgines poſt eam: próximæ eius afferéntur tibi in lætítia. Allelúia. Pſ. 44.

Sequéntia ſancti Euangélij ſecúndùm Matthæum.

Matth. 25. IN illo témpore: Dixit Ieſus diſcípulis ſuis parábolam hanc. Símile eſt regnum cælórum decem virgínibus: quæ accipiéntes lámpades ſuas, exiérunt óbuiàm ſponſo & ſponſæ. Quinque autem ex eis erant fátuæ, & quinque prudéntes. Sed quinque fátuæ, accéptis lampádibus non ſumpſérunt óleum ſecum. Prudéntes verò accepérunt óleum in vaſis ſuis cum lampádibus. Moram autem faciénte ſponſo, dormitauérunt omnes, & dormiérunt. Média autem nocte clamor factus eſt: Ecce ſponſus venit, exíte óbuiàm ei. Tunc ſurrexérunt omnes vírgines illæ, & ornauérunt lámpades ſuas. Fátuæ autem ſapiéntibus dixérunt. Date nobis de óleo veſtro: quia lámpades noſtræ extinguúntur. Reſpondérunt pru-

déntes, dicéntes. Ne fortè non ſufficiat nobis & vobis: ite pótiùs ad vendéntes, & émite vobis. Dum autem irent émere, venit ſponſus: & quæ parátæ erant, intrauérunt cum eo ad núptias, & clauſa eſt iánua. Nouíſſimè verò véniunt & réliquæ vírgines, dicéntes. Dómine, Dómine, áperi nobis. At ille reſpóndens, ait. Amen dico vobis, néſcio vos. Vigilâte ítaque, quia neſcîtis diem, neque horam. Credo.

Pſ. 44. Offertorium. Afferéntur Regi vírgines poſt eam: próximæ eius afferéntur tibi.

Secreta.

INténde, quæſumus Dómine, múnera altáribus tuis pro ſanctárum vírginum & mártyrum tuárum Vrſulæ, & ſociárum eius, feſtiuitáte propóſita: vt ſicut per hæc beáta myſtéria, illis glóriam contuliſti, ita nobis indulgéntiam largiáris. Per Dóminum.

Pro commemoratione ſancti Hilarionis. Secreta.

SAcris altáribus, Dómine, hóſtias ſuperpóſitas ſanctus Hilárion abbas, quæſumus in ſalûtem nobis prouenîre depóſcat. Per Dóminum noſtrum.

Matth. 25. Communio. Quinque prudéntes vírgines accepérunt óleum in vaſis ſuis cum lampádibus: média autem nocte clamor factus eſt, ecce ſponſus venit, exíte óbuiàm Chriſto Dómino. Poſtcommunio.

PRæſta nobis, quæſumus Dómine, intercedéntibus ſanctis virgínibus & martyribus tuis: vt quod ore contíngimus, pura mente capiámus. Per Dóminum noſtrum.

Pro commemoratione ſancti Hilarionis Abbatis.

Poſtcommunio.

PRótegat nos, Dómine, cum tui perceptióne ſacraménti beâtus Hilárion abbas, pro nobis intercedéndo: vt & conuerſatiónis eius experiámur inſígnia, & interceſſiónis percipiámus ſuffrágia. Per Dóminum.

FESTA NOVEMBRIS.

In feſto SS. martyrum quinque Fratrum Polonorum. Introitus. DIE XII.

MVltæ tribulatiónes iuſtórum, & de his ómnibus liberâuit eos Dóminus: Dóminus cuſtódit ómnia oſſa eórum: vnum ex his non conterêtur. Pſ. 33. Pſalm. Benedícam Dóminum in omni témpore: ſemper laus eius in ore meo. ibid. ℣. Glória Patri. Oratio.

SAnctórum nos, quæſumus Dómine, mártyrum tuórum, Benedícti, Ioánis, Matthęi, Iſaáci, atque Chriſtíni glorióſa hodiérna die trophæa lætíficent: quátenus eórum interuentióne, ad illam perueniámus hereditátem, in qua iídem felíces angelórum cœtibus aggregáti, tuæ ſemper maieſtátis perfruúntur ineffábili claritáte. Per Dóminum.

Lectio libri Sapiéntiæ.

Eccl. 44. HI ſunt viri miſericórdiæ, quorũ iuſtítię obliuióne nõ

accepérunt. Cum sémine eôrum pérmanent bona: heréditas sancta, nepótes eôrum. Et in testaméntis stetit semen eôrum: & fílij eôrum propter eos in ætérnum manent. Generátio eôrum, & glória eôrum non derelinquêtur. Córpora eôrum in pace sepúlta sunt: & nómina eôrum viuent in sæcula. Sapiéntiam eôrum narrent omnes pópuli: & laudem eôrum pronúntiet omnis ecclésia sanctôrum.

Ps. 132. Graduale. Ecce quàm bonum & quàm iucúndum, habitâre fratres in vnum. ℣. Sicut vnguéntum in cápite, quod descéndit in barbam, barbam Aaron. Allelúia, allelúia. ℣. Hæc est vera fratérnitas, quæ vicit mundi crímina: Christum secûta est, ínclyta tenens regna cæléstia. Allelúia.

Sequéntia sancti Euangélij secúndùm Lucam.

Luc. 12 IN illo témpore: Dixit Iesus discípulis suis. Atténdite à ferménto Pharisæôrum, quod est hypócrisis. Nihil autem opértum, quod non reuelêtur: neque abscónditum, quod non sciâtur. Quóniam quæ in ténebris dixístis, in lumine dicéntur: & quod in aurem locúti estis in cubículis, prædicábitur in tectis. Dico autem vobis amícis meis: Ne terreámini ab his qui occídunt corpus, & post hæc non habent ámplius quid fáciant. Osténdam autem vobis quem timeâtis. Timête eum, qui postquam occíderit, habet potestâtem míttere in gehénnam. Ita dico vobis, hunc timête. Nónne quinque pásseres véneunt dipóndio: & vnus ex illis non est in obliuiône coram Deo? Sed & capílli cápitis vestri, omnes numeráti sunt. Nolîte ergo timêre: multis passéribus pluris estis vos. Dico autem vobis: omnis quicúmque conféssus fúerit me coram homínibus, & fílius hóminis confitébitur illum coram ángelis Dei. Credo.

Offertorium. Gloriabúntur in te omnes qui díligunt nomen tuum, quóniam tu Dómine benedíces iusto: Dómine, vt scuto bonæ voluntâtis tuæ, coronásti nos. Psal. 5.

Secreta.

HOstias tibi Dómine, sanctôrum mártyrum tuôrum dicátas méritis benígnus assûme: & ad perpétuum nobis tríbue prouenîre subsídium. Per Dóminum nostrum.

Communio. Et si coram homínibus torménta passi sunt, Deus tentâuit eos: tamquam aurum in fornâce probâuit eos, & quasi holocáusta accêpit eos. Sap. 3.

Postcommunio.

SVmpsimus Dómine, sanctôrum mártyrum tuôrum, Benedícti, Ioánnis, Matthæi, Isaáci, atque Christíni solémnia celebrántes, sacraménta cæléstia: præsta quæsúmus: vt quod temporáliter gérimus, ætérnis gáudiis consequâmur. Per Dóminum nostrum.

In

DIE XIX. In festo sanctæ ELISABETH viduæ. Introitus.

GAudeâmus omnes in Dómino, diē festum celebrãtes sub honôre beátæ Elísabeth: de cuius solemnitâte gaudent Angeli, & colláudant fílium Dei. Ps. 44. Psalm. Eructâuit cor meum verbum bonum: dico ego ópera mea regi. ℣. Glória Patri.

Oratio.

TVôrum corda fidélium, Deus miserâtor illústra: & beátæ Elísabeth précibus gloriósis, fac nos próspera mundi despícere, & cæléstì semper consolatiône gaudêre. Per Dóminum.

Epistola. Mulíerem fortem quis inuéniet? de Communi nec Virginis nec Martyris.

Ps. 44. Graduale. Diffûsa est grátia in lábiis tuis, proptéreà benedíxit te Deus in ætérnum. ℣. Propter veritâtem, & mansuetúdinem, & iustítiam: & dedûcet te mirabíliter déxtera tua. Ibid. Allelúia, allelúia. ℣. Spécie tua, & pulchritúdine tua: inténde, prósperè procêde, & regna. Allelúia.

Euangelium. Símile est regnum cælôrum thesauro abscōdito in agro. vt in Communi nec Virginis nec Martyris. Et dicitur Credo.

Offertorium. Fíliæ regum in honôre tuo: ástitit regîna à dextris tuis in vestítu deauráto, circúmdata varietâte. Ps. 44.

Secreta.

ACcépta tibi sit, Dómine, sacrátæ plebis oblátio, pro tuôrum honôre sanctôrum: quorum se méritis de tribulatiône percepísse cognóscit auxílium. Per Dóminum nostrum.

Communio. Diffûsa est grátia in lábiis tuis, proptéreà benedíxit te Deus in ætérnum.

Postcommunio.

SAtiásti, Dómine, famíliam tuam munéribus sacris: eius quæsumus semper interuentiône nos réfoue, cuius solémnia celebrâmus. Per Dóminum nostrum Iesum Christum.

ANTVERPIÆ,

EX OFFICINA PLANTINIANA,

Apud Viduam & Filios Ioannis Moreti.

M. DC. XI.

